



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCXXII. De Conversione Mulieris Samaritanæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

alijs postponi cupias, facillè de quo vis, qui tibi præponitur, dices: *Illum oportet crescere, me autem minui.* Hic ergo in mundo recumbe in novissimo loco, ut in Cælo tibi dicatur: *Amice, ascende superius.* Luc. 14. v. 10. Sequere illam Christi admonitionem, Marci. 10. v. 43. *Quicumque voluerit in vobis primus esse, sit omnium servus.*

PUNCT. III. Considera, quanti æstimaverit S. Joannes Baptista Doctrinam Christi tam ratione objecti, quam ratione certitudinis, utpote continentem veritates planè Cælestes, & certas: *Qui de Cælo venit, super omnes est; & quod vidit, & audivit, hoc testatur.* Joan. 3. v. 31. *Quem enim misit DEVS, verba DEI loquitur; non enim ad mensuram dat DEVS Spiritum. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus.* v. 34. Quæcunque ergo adversantur Doctrinæ Christi, falsa reputa, inania, & noxia.

MEDITATIO CCXXII.

De Conversione Mulieris Samaritanæ

Joan. 4.

PUNCTUM I. Cùm Christus Jerosolymis anno ætatis trigesimo primo à Paschate cepisset prædicare, ac deinde à principio Aprilis per suos Discipulos etiam baptizare, reliquam Judæam pertransiens (ut dicitur Joan. 3. v. 22.) ad declinandam Phariseorum invidiam, & odium ob multitudinem accurrentium ad suum Baptisma, rursus ex Judæa secessit in Galilæam, ut refert S. Joan. c. 4. v. 1. *Oportebat eum transire per Samariam. Venit ergo in civitatem Samaria, non intrans urbem,*

urbem, in quam Discipulos pro cibis emendis dimiserat, sed foris *Fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Hora erat quasi sexta. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei *JESVS: da mihi bibere.* v. 7. Considera 1. Christum pro unius infidelis, ac impudicæ, pauperulæ, ignobilis mulierulæ Salute defatigatum fuisse, iter pedestre faciendo ea celeritate, ut venientem ad hauriendam aquam, eodem tempore alloqui, ac convertere posset. Quam ergo pro nostra & aliena Salute, etiam unius tantum plebeij hominis fatigari, nobis grave esse non debet; præsertim si consideremus, Christum non ista duntaxat vice fatigatum esse, sed Judæam, & Galilæam absque curru vel equo, constanter pedibus peragrâsse; integros dies, ut vix cibo sumendo aliquid temporis reliquum esset, prædicando, & hominibus inserviando, noctem orando transegisse: tandem per diversorum Judicum tribunalia raptatum, exivisse ad Calvariæ locum, gravi Cruce onustum, & viribus fractum. Pudeat ergo te tuis commodis adeò addictum esse, vel corporis, aut animi incommoda tam citò fugere in procuranda tum tua, tum aliorum Salute.

PUNCT. II. Considera 2. Christum prævenisse, & expectâsse venientem mulierem, & unicum aquæ haustum petivisse, ut pro ea ipsi offerret *Aquam vivam*, id est, *Gratiam Salientem in Vitam Æternam*: Mulierem autem non dedisse aquam, sed dixisse: *Quomodo tu Judæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* O quoties DEVS Gratiâ suâ nos prævenit! Quanto tempore conversionem, & emendationem nostram expectat! quàm modica, & exigua sunt, quæ à nobis petit! quàm magna, quæ promittit!

tit! Quàm tardi sumus ad danda illa modica, & ad petenda, ac procuranda illa magna! Imitare tamen mulierem Samaritanam in hoc, ut consideres, quis sit ille, qui petit; & quis tu, à quo petit DEVS; & quàm exigua, levia, ac facilia sint ea, quæ petit. Si memor eris illorum verborum: *Si scires donum DEI, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere: non tantum nihil negabis DEO, sed quidquid dederis, parum judicabis, & indignum te censebis, quod DEVS dignetur à te aliquid petere, & accipere.* Quemadmodum David, quando cum populo suo universo maximam vim auri, argenti, & aliorum necessariorum ad ædificium magnificentissimum Templi struendi DEO obtulerat, liberalitate hac summè lætatus dixit. *1. Paral. c. 29. v. 14. Quis ego, & quis Populus meus, ut possimus hæc tibi Univerfa promittere? Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.*

PUNCT. III. Disce, quomodo sermonem de aliqua naturali hîc apud Joan. 4. v. 10. & postea v. 32. sermonem de cibo corporali, Christus verterit ad sermonem de Aqua & Cibo Spirituali. Unde patet, quomodo, & quanto fructu colloquia Spiritualia miscere debeamus sive inter nos, sive cum Sæcularibus; ut nunquam sine fructu, & sine Spirituali documento finiantur colloquia ab argumento profano cæpta. Docemur etiam, per terrena & sensibilia mente .d

Cælestia & Spiritualia ascendere: & curam reficiendi Corporis ad Animæ refectionem potius transferre.

